Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Commentaria in octo libros physicorum Aristotelis - Cod. Ettenheim-Münster 192

Aristoteles

[S.l.], 1629-1630

Quaestio prima

urn:nbn:de:bsz:31-116321

Visual Library

1 Primus liber agit de principiis entis mobilis vel naturalis materia scilicet: et forma atque privatione.

2. Secundus tractat de natura, et de causis entis naturalis

3. Tertius de motu, et infinito.

4. Quartus de loco, vacuo, et tempore.

5. Quintus de unitate, contrarietate, et speciebus motus.

6. Sextus de divisione motus in partes et primis ex quibus componitur.

7. et 8. Septimus et Octavus de primo Motore eiusque proprietatibus. Et haec de proëmialibus philosophiae dicta sufficiant pridie festi diei S. Francisci.

LIBER PRIMUS PHYSICORUM

Continet

Continet hic Liber Novem Capitu-
la primum caput est proœmium totius operis
in quo Autor proponit modum sive methodum
servandam in traditione scientiae naturalis, eamque
duobus pronuntiatis declarat.

Primum est in tradenda cognitione cuiuslibet rei habentis principia, causas, et elementa, incipiendum est ab ipsis, quia ex eorum notitia pendet ~~cognitio~~ notitia rei cognoscendae; cum ergo res naturalis, vel ens mobile habeat principia, causas, et elementa, ab illis ordo erit inchoandum. /

Secundum Pronuntiatum est in tradenda cognitione rerum naturalium, ab universalioribus ad minus universalia; à confusis, ad distincta procedendum; et probat hoc suum dictum ex eo quod nobis insitum sit à natura, ut in tradendis disciplinis ab his procedamus quae sunt nobis notiora, ut per haec possimus assequi cognitionem aliorum, minus quae nobis sunt nota, sed universaliora et confusa sunt notiora nobis, ergo ab his erit incipiendum. minorem probat Autor tribus exemplis. 1o in toto sensibili quod nobis notius est quam illius partes. 2o in toto intelligibili quod est praedicatum commune quod nobis primo occurrit

in

in progressu cognitionis. 3o probat experto puerorum, quorum vaga et confusa mentis notitia eos viros patres appellant. Deinde cum progressu temporis quo ratio usus magis elucet ad distinctam procedunt cognitionem rerum singulatim dignoscunt.

Circa haec duo pronuntiata Aristotelis in hoc 1o cap: multa hic ab aliquibus agitantur, sed quia illa etiam alibi propriam sedem habent, ideo de illis nihil pro nunc dicemus. Tamen petit esse aliquale dubium quid Aristoteles intellexerit per illa tria relata sc: principia, causas, et elementa; an sc: secundum illum sint unum et idem, an vero diversa? Huic dubio respondet ex S. Thoma hic supra istum locum tria haec habere se sicut superius et inferius, ita ut principium sit superius quam causa; causa vero superius elemento; principium itaque nihil aliud dicit, quam id a quo res quomodocunque incipit esse, sive per modum a causa, sive per modum a termino a quo; unde privatio et comprehenditur sub nomine principii; causa vero supra rationem principii, addit influxum quendam in effectum, ita, ut causa sit principium a quo res habet esse per influxum, qualem influxum habent quatuor genera causarum, unde a ratione causae excluditur privatio quia nullum habet influxum, neque in generationem rei, neque in esse ipsius; elementum autem tamen dicit causam materialem quae rei compositionem ingreditur per modum ipsius [partem?]; sicut literae dicuntur elementa orationis aut sermonis alicuius; et hic nomine principii non intelligimus in-

telligimus

telligimus propria sensuum quae vocant dignitates
de quibus egimus in lib. posteriorum. Sed intelli-
gimus propria entis naturalis de quibus in sequentibus.
In 2o et 3o capite refert Aristotelis sententiam Parme-
nidis et aliorum plurium antiquorum asserentium
omnia esse unum et immobilia. Et hanc sententiam confutat
In 4o capite exponit falsas quasdam opini-
ones veterum de principiis.
In 5o. ait principia rei naturalis esse contraria.
In 6o ait dari 3a principia. duo contraria et unum
subiectum.
In 7o explicat illa principia quaenam sint. et as-
serit esse formam et materiam atque privationem.
In 8o adducit et confutat sententias antiquorum
negantium ortum et interitum rerum.
In ultimo reiicit opinionem Platonis non di-
stinguentis materiam a privatione. Haec circa
textum Aristotelis.

QUAESTIO SECUNDA DE PRINCIPIIS ENTIS MOBILIS IN COMMUNI.

Dub: